

www.e-rara.ch

Acta Helvetica

Acta Helvetica, Physico-Mathematico-Anatomico-Botanico-Medica - Figuris Aeneis Illustrata, &
In Usus Publicos Exarata : Volumen IV

Im Hof, Johann Rudolf

Basileæ, MDCCLX [1760]

Universitätsbibliothek Basel

Persistent Link: <https://doi.org/10.3931/e-rara-106537>

Weneri De La Chenal. Observationes Nonnullæ Botanicae

www.e-rara.ch

Die Plattform e-rara.ch macht die in Schweizer Bibliotheken vorhandenen Drucke online verfügbar. Das Spektrum reicht von Büchern über Karten bis zu illustrierten Materialien - von den Anfängen des Buchdrucks bis ins 20. Jahrhundert.

e-rara.ch provides online access to rare books available in Swiss libraries. The holdings extend from books and maps to illustrated material - from the beginnings of printing to the 20th century.

e-rara.ch met en ligne des reproductions numériques d'imprimés conservés dans les bibliothèques de Suisse. L'éventail va des livres aux documents iconographiques en passant par les cartes - des débuts de l'imprimerie jusqu'au 20e siècle.

e-rara.ch mette a disposizione in rete le edizioni antiche conservate nelle biblioteche svizzere. La collezione comprende libri, carte geografiche e materiale illustrato che risalgono agli inizi della tipografia fino ad arrivare al XX secolo.

Nutzungsbedingungen Dieses Digitalisat kann kostenfrei heruntergeladen werden. Die Lizenzierungsart und die Nutzungsbedingungen sind individuell zu jedem Dokument in den Titelinformationen angegeben. Für weitere Informationen siehe auch [Link]

Terms of Use This digital copy can be downloaded free of charge. The type of licensing and the terms of use are indicated in the title information for each document individually. For further information please refer to the terms of use on [Link]

Conditions d'utilisation Ce document numérique peut être téléchargé gratuitement. Son statut juridique et ses conditions d'utilisation sont précisés dans sa notice détaillée. Pour de plus amples informations, voir [Link]

Condizioni di utilizzo Questo documento può essere scaricato gratuitamente. Il tipo di licenza e le condizioni di utilizzo sono indicate nella notizia bibliografica del singolo documento. Per ulteriori informazioni vedi anche [Link]

WERNERI DE LA CHENAL.
OBSERVATIONES NONNULLAE
BOTANICAE.

OBSERVATIO I.

Tab. XV. **C**UM circa novam *Sisymbrii* speciem, elapso anno in *specimine* meo *inaugurali Observationum botanicarum* descriptam, & ab eo tempore accuratori examini subjectam, nonnulla vel nova detexerim, vel aliter sese habentia, ac ibi dicta sunt; & praeterea ex *indiciis litterariis Goettingensibus* intellexerim, Ill. HALLERUM, an fere a *Sisymbrio aquatico siliquis brevibus* differat, adhuc haesitare, repetitam ejus atque icone illustratam descriptionem heic exhibere necessarium duxi.

Radix multiceps, dura, perennis, obliqua, albicans, capillitio circa capita ornata, saepiusque exinde fibrillas demittens, parum ramosa, saporis, uti tota planta, acris, nasturcini, odoris post recentem effossionem similis, validi.

Caulis ex una radice plurimi (ad 30 non raro & ultra), pedales, & cubitales quandoque, erecti, teretes, glabri, vel leviter pubescentes, ab imo ad summum ramosi, ut tandem in ramulos deliquescant, alterne ad exortum ramorum, foliorumque & pedunculorum flexi. Rami similes pariter flexuosi.

Folia glabra, vel raris pilis adspersa, succulenta, nitida. *Radicalia* pinnata; pinna extrema plerumque latiori, ovali, oblonga, vel subrotunda, varie dentata vel integra trilobaque; reliquis pinnis minoribus, brevioribus, rectangulis, obtusis vel acutis, dentatis aut integris, versus folii principium sensim decrescen.

crescentibus. *Caulinorum* foliorum pinnae versus summitatem Tab. XV. plantae continuo angustiores fiunt, (ut tandem fere capillaceae evadant), lineares, costa haud latiores, longae, alternae & conjugatae, plerumque rectangulae, saepius aliquantum recurvatae, integerrimae, vel una alterave lacinia auctae, obtusiusculae, extrema pinna nihilo latiori. Pinnae cauli proximae brevissimae sunt & in hami speciem incurvatae caulem amplectuntur.

Rami florales axillares, nudi, ante florum aperturam nutantes.

Flores in racemum digesti, pedunculati, pedunculis glabris, tenuibus, extantibus.

Calyx quadrifolius, foliolis elliptico linearibus, acutis, basi non gibbis, patentibus, glabris, ex viridi pallide luteis.

Corolla tetrapetala, cruciformis, petalis calyce tertia parte longioribus, ex unguibus brevibus in bracteam obovatam, integram desinentibus, patentibus, aequalibus, luteis.

Stamina sex, quorum duo petalorum sunt longitudine, reliqua quatuor paulo longiora. *Antherae* sagittatae.

Germen elliptico-lineare, intra florem sessile, in *siliquam* abit perbreve, sesquilineam & duas lineas longam, ovato-oblongam, glabram, extrorsum paululum gibbam, quasi inflatam, bilocularem, bivalvem, valvulis ad septum parallelis, *stylo* instructam dimidiam lineam longo, tenui, persistente, *stigmatate* parvo, capitato, integro.

Semina paucissima, in quovis loculo tria, quatuor, sex quando plurima, parva, subrotunda.

Tab. XV. *Glandulas*, etiam lente vitrea adhibita, nullas detegere potui.

Variat haec planta caulibus magis minusve ramosis, foliis latioribus (quale specimen icon nostra sistit) & angustioribus, glabris & subhirsutis &c.

Ex hac nostra descriptione, ni fallor, patet, magnam *Sisymbrio nostro* cum *Sisymbriis aquaticis brevibus siliquis* esse adfinitatem, quam tamen minime tantam esse, ut non commode ab invicem specie distingui queant, ex brevi inter ea instituta comparatione elucebit.

Cum *Raphano nimirum aquatico altero* C. B. convenit hamis foliorum, flore & siliqua. Differt ab eo foliis pinnatis, ima caulis parte non repente, siliquis oligospermis, loco natali, tempore florendi, & in universoni habitu minore, teneriore.

Ad *Raphanum aquaticum foliis in profundas lacinias divisis* C. B. accedit foliis pinnatis, amplexicaulibus, caule non repente, siliquis brevibus. Recedit ab eo foliorum caulinorum pinnis angustissimis, caule non striato, petalis calyce longioribus, feminibus paucis &c.

Sisymbrio palustri repenti nasturtii folio, siliqua oblonga Tourn. simile est foliis pinnatis, pinnis angustis, & flore. Diversum ab eo caule tereti, erecto, foliis amplexicaulibus, siliquis brevibus &c.

In universoni igitur, ut breviter repetam, a dictis plantis radice circa caput capillata, caule erecto, foliis succulentis, tenuissime divisis, ramis floralibus ante florum aperturam nutantibus, filiculis quasi inanibus, paucissima semina continentibus, tempore florendi vernali &c. facillime distinguitur & floribus

floribus pulcherrime luteis, modoque in pratis gregatim per Tab. XV. magnos cespites nascendi e longinquo dignoscitur.

Ex dictis, ut puto, evidenter elucet, plantam nostram non posse a *Sisymbriis* divelli alique generi inferi.

Idcirco, donec *Sisymbrii* genus melius definiatur, interim sub sequenti nomine illam in horto meo sicco adservo:

Sisymbrium foliis pinnatis, imorum pinnis oblongis, superiorum linearibus, integris, siliquis ovalibus, oligospermis.

Unicum saltem hujus plantae Synonymum mihi notum est, nempe:

Alyssum foliis pinnatis, multiformibus, floribus racemosis luteis
ALLIONE rar. Pedem. Stirp. Spec. I. pag. 40. Tab. VII. quae tamen icon à nostra hactenus differt, quod folia latiora, magis laciniata & ferrata, flores majores, petala rotundiora, &c. sistat, quae differentiae forsan à regionis folique diversitate proveniunt.

In Horto sicco Hagenbachiano etiam adservatam reperi hanc stirpem, cum nomine *Erucae foliis superioribus tenuissimis.*

Supereft ut loca ejus natalia indicem: Copiosissime legi in pratis, quae utrinque viae regiae adjacent inter *Neubaus & Fridlingen*, porro in aliquibus pratis inter *Cliben & Kleinbuningen*, nec non versus *Wyl*, & in colle graminoso, qui longe agro *Wylenses* a subjectis pratis & sylva separat, in graminosis etiam ad *Wiesam* sed rarius. Cel. ALLIONE in *Italia* circa thermas *Valderianas* in saxosis & pratis secus torrentes legit. HAGENBACH olim in *Turania* se legisse & *Parisiis* etiam accepisse scribit. Cl. BERDOT *Montbelgardi* versus *Brogard*.

Iconem nostram non excuso fidelissime pictam, si flores excipias, qui sculptoris culpa non ubique satis accurate expressi sunt.

OBSERVATIO II.

Quando Cel. Viri LINNAEUS & HALLERUS aliique ex recentioribus botanici *Raphanum aquaticum foliis in profundas lacinias divisis* C. B. cum *Raphano aquatico altero* EJUSD. & *Sisymbrio aquatico foliis variis* VAILL. specie conjungunt, omnino aliam stirpem intelligere videntur, ac eam, quae heic vulgatissima est, cuique icon C. BAUHINI in *Prodr.* exhibita satis convenit. Haec enim a dictis plantis primo caule differt minime repente, licet non raro ex parte procumbat. Deinde, quae praecipua nota est, petala minima habet, calyce tertia fere parte breviora, nonnunquam dimidia, quandoque fed rarius calycem magnitudine aequantia, nunquam vero excedentia. Calycis foliola ad basin paulum gibba sunt. Pedunculi multo breviores, crassiores. Hisce addi potest locus natalis, cum non tam in ipsa aqua, quam extra eam locis subinde tantum inundatis, ut in arenosis fluviorum litoribus, fossis pratorum & viarum luto-
sis &c. proveniat.

Duas *Raphani aquatici* species esse suo jam tempore RAJUS suspicatus est, quando scripsit in *Hist. plant.* p. 819: *Duae species esse videntur, altera folio in profundas lacinias diviso, quae a C. BAUHINO depicta est, altera folio plerumque integro, interdum ad pediculum laciniato, quae apud nos vulgaris; utraque autem flore luteo.*

Huic sententiae haecenus adstipulor, quod duas *Raphani aquatici foliis pinnatis* species esse credam, quarum una a *Raphano aquatico altero* C. B. & a *Sisymbrio aquatico foliis variis* VAILL. foliis pinnatis recedit & jure pro earum varietate haberi potest; alteram vero ab iis vere diversam esse modo monstravimus.

Ad primam sequentia refero synonyma certiora :

Raphanus sylvestris Officinarum, *aquaticus*. LOBEL. *Ic. p. 319.*
Rapha-

Raphanus aquaticus TABERN. p. 415. J. B. II. p. 866. ic. & descript. ex TAB. RAJ. *Hist.* p. 818. ubi varietates folio ferrato & laciniato conjungit.

Sisymbrium foliis pinnatis, pinnis ferratis, siliqua brevi HALL. *Enum. helv.* p. 548. n. 3.

Sisymbrium foliis imis capillaceis, superioribus pinnatifidis. LINN. *H. Cliff.* p. 337.

Hanc etiam plantam videntur intellexisse multi ex auctoribus, qui nomina C. BAUHINI & TOURNEFORTII mox adducenda repetierunt.

Altera est

Raphanus aquaticus foliis in profundas lacinias divisis C. B. *Prodr.* p. 38. c. icone satis bona. *Pin.* 97. *Bas.* p. 27. Icon certe convenit, neque alia hactenus circa Basileam reperta est.

An *Radiculae sylvestris sive palustris* J. B. II. 865. varietas *foliis tenuiter sectis*? Videtur certe, cum flores ejus floribus *Erucae sylv.* FUCHSII multis numeris minores dicat, neque icon recedat.

An *Sisymbrium aquaticum, foliis in profundas lacinias divisis, siliqua brevior* TOURN. J. R. H. p. 226? *Pl. Paris.* p. 230? Laudat iconem C. BAUHINI, rejicitque figuras TABERNAEMONTANI & LOBELII.

Sisymbrium palustre repens parvo flore VAILL. *Bot. Par.* p. 186. cum bona descriptione, pro nova planta.

Radicula aquatica foliis in profundas lacinias divisis DILLEN. *Cat. Gieß. App.* p. 9. videtur huc pertinere, cum extra aquas nasci dicat.

Synonima minus certo omitto.

OBSERVATIO III.

Tab. XVI. **A**nni elapsi mense Augusto comite Cl. MIEGIO loca *Birsae* fluvio adjacentia perlustrans, in *Cardui* speciem incidimus, quam domum reversi & in scriptis botanicis evolventes non absque gaudio vidimus novam esse *Helvetiae* civem, eamque rarissimam, *Carduum* nimirum *foliis lanceolatis, amplexicaulibus, ferraturis spinoso-setaceis, capitulis triphyllis* LINN. *Spec. plant.* p. 825. n. 22. Cujus, cum nulla, quantum mihi notum est, extet exacta descriptio neque icon, utramque heic inferere liceat.

Radix lignosa, nodosa, transversa, multiceps, radículas deorsum demittens, longas, teretes, albicantes.

Ex quovis radicis capite fasciculus oritur foliorum, ex cujus medio *caulis* furgit pedalis, & cubitalis, erectus, modice crassus, striatus, hirsutus, non alatus, ramosus, inferne purpurascens.

Folia succulenta, superne intense viridia, paucis pilis adpersa, averso latere pallida, juxta nervos hirsuta. *Radicalia* quinque, sex, vel septem, dimidium pedem & ultra longa, origine purpurascens, angusta, procedendo latefcunt & semipinnata fiunt, undique per oram ferrata, ferraturis ciliato-spinosis. *Pinnae* variae sunt figurae, semibilobae, semitrilobae, lobis mox longioribus, angustioribus, mox in latitudinem magis extensis, cujusque lobi nervo in brevem sed satis validam, flavescentem spinam excurrente. *Caulina* folia inferiora radicalibus simillima, latiora tamen plerumque & minus longa; superiora minora, profunde laciniata, laciniis integris vel semibilobis. *Supremi rami* foliis vestiuntur parvis, lineari-lanceolatis, leviter sinuatis vel integris, similiter per oram ciliato-spinosis.

Capitula plerumque solitaria caules & ramos terminant, Tab. XVI. duobus, ut plurimum tribus, nonnunquam & quatuor foliis linearibus ciliatis obvallata, cylindrica, ex squamis facta imbricatis, lanceolatis, erectis, glabris, acutis, viridibus, in spinulam mollem exiguam extantem desinentibus. Non raro aliquot capitula ex alis foliorum brevibus pedunculis innixa accedunt.

Flosculi albidii. *Tubus* longus, angustus, media sui parte in campanulam dilatatur semiquinquefidam, segmentis angustis, linearibus acutis, imo profundius inciso. *Stamina* quinque, brevia, hirsuta; *vagina antherica* straminei coloris, apice quinquentata. *Tuba* praelonga, ea parte, qua ex flosculo eminet, purpurascens. *Stigmata* duo valde exilia, nudis oculis aegre visibilia. *Semen* ovale, compressum, pappo coronatum (copioso, longo, plumoso.

Cum *Cirsium singularibus capitulis parvis* C. B. a *Carduo* nostro foliis glabris, teneris, minus laciniatis & spinosis, decurrentibus; capitulis duplo minoribus, nullis foliolis cinctis, flosculis purpureis, pappo simplici aliisque notis abunde recedat, haud parum miramur, Cel. LINNAEO has plantas ita sibi esse similes videri, ut facile pro varietatibus haberi posse putet.

Ad *Carduum pratensem latifolium* C. B. potius aliquatenus accedit capitulorum magnitudine & figura, squamis calycinis, flosculorum colore & structura, toto vero habitu, foliis, foliolis capitula circumdantibus parvis &c. facillime ab eo dignoscendus.

Superfluum foret, comparationem descripti *Cardui* cum adfinibus speciebus ulterius continuare, cum ex descriptione nostra facili negotio notae erui possint, quibus ab illis distinguatur v. g. a *Carduo bulboso Monspeliensium* LOBELII, a *Cirsio anglico* EJUSD. &c.

Licet

Tab. XVI. Licet Cel. LINNAEUS nullum hujus plantae afferat synonymimon, forsan tamen huc referendum est: *Cirsium alpinum* foliis ad costam integris, per ambitum in amplas lacinias sec-tis, flore albido, *aphodeli radice* PONTEDE. *Dissert.* VI. p. 133. n. XIII Descriptio certe non recedit, si pauca excipias v. g. radicis figuram, caulis altitudinem &c. Sed & in horto nostro medico ad duos & tres pedes sese attollit. Possset ta-men etiam dictum PONTEDERAE nomen, licet minori veri-similitudine ad *Cirsium anglicum* LOB. referri.

In *Historia plantarum*, quae vulgo *Lugdunensis* audit, pag. 1479. sub *Drypidis* nomine icon occurrit, si capitula spectes, nostro *Carduo* simillima, cum foliola inprimis capitula cin-gentia optime expressa sint. Folia vero petiolata, angusta, & ubique fere ejusdem latitudinis non aequae arrident, licet pariter semipinnata sint & per oram spinosa. Nullam tamen cardui speciem novi vel in auctoribus reperio, cui icon ci-tata melius respondeat, ac nostrae.

Loca natalia descripti *Cardui* perpauca nota sunt: LIN-NAEUS in *Sibiria* indicat. PONTEDE, si quidem de nostro loquitur, videtur ex alpinis *Italicis* habuisse. Ego in pascuis macilentis ad *Birsam*, trans fluentum inter pontem majorem & locum *das Schaentzlein* dictum, unico loco juxta dumeta legi non copiose. Ibidem olim *Carlinam caulescentem* magno flore C. B. legeram, ut omnino hic locus, licet valde depre-sus, aliquid de montana indole habere videatur.

OBSERVATIO IV.

A Liam *Cardui* speciem legi praeterito anno, de qua, cum historia ejus satis sit confusa, quaedam hic monebo.

Reperi eam in Comitatus *Montbelgardensis* montana parte *Helvetiae* vicina, circa pagum *Montecheroux* in pratis sub-palu-

paludosis cum *Helleboro albo*, *Trollio*, aliisque montanis Stirpibus.

Caulem habebat cubitalem & bipedalem, erectum, non ramosum, parum crassum, striatum, lanuginosum, inferne foliosum, superne longe nudum, si paucas ligulas excipias.

Folia in univcrsum multiformia per oram ciliato spinosa, superne intense viridia, scabra; averfo latere incana, hirsuta: Infima petiolata, petiolo plano, membranaceo, latiori basi caulem amplectente, ceterum ovato-lanceolata, plus minus profunde dentata, dentibus integris vel divis, spinula terminatis. Non rara legi specimina foliis semipinnatis, pinnis rectangulis, longis, lanceolatis, angustis, saepius integris, nonnunquam dentatis. Et haec de foliis infimam caulis partem occupantibus. Paulo superius similia aderant, petiolis tamen destituta, valde amplexicaulia, ut perforata dixisses. Folia haecenus descripta quatuor, quinque ad septem sunt, & fere quartam vel quintam culis partem obsident, reliqua ejus pars longe nuda est, aliquot solummodo ligulis instructa praelongis, linearibus, angustis, ad basin quasi duabus auriculis auctis, quibus caulem amplectuntur.

Summum caulem terminat capitulum modicae magnitudinis cylindricum, cujus basi saepissime alterum, quandoque & tertium adfidet. Subinde ad aliquam distantiam infra summum capitulum ex ala ligulae aliud prodit vel sessile vel breviter pedunculatum, tardius florens, & plerumque, uti recte monet RAJUS in *hist. plant.* summo jam in pappum resolutum. Calycis squamae angustae, longae, erectae, triangulares, accutae, satura purpura tinctae, penitus inermes. Flosculi purpurei nitentes. Semen ovale. Pappus longitudine calycis, plumosus.

Floret Majo & Junio mensibus.

Cum historia hujus plantae, uti jam monuimus, valde
Vol. IV. P p *fit*

fit confusa & obscura, praecipua saltem ejus synonyma afferemus.

An *Cirsium anglicum* LOBEL. *Icon.* p. 583. *Lugd.* 584. ex LOB. huc pertinet? Suadet habitus & foliorum figura; sed caulem spithameum dicit & nullum in foliis spinarum apparet vestigium, videtur tamen melius huc referri, quam cum Cel. Linnaeo ad diversissimum alium calycem spinosum habentem.

Cirsium anglicum RAJ. *Hist. plant.* p. 306. *Syn.* III. p. de hoc certum est.

An *Cirsium majus* singulari capitulo magno: vel incanum varie dissectum C. B. *Pin.* 377? Ex LOBEL. *Tourn.* J. R. H. 447?

An *Cirsium anglicum* radice hellebori nigri modo fibrosa, folio longo J. B. III. P. I. p. 45? *Icon & descriptio* ex LOBELIO.

Carduo Cirsium maximum profunde laciniatum, in foliorum ambitu spinis mollibus hirtum PLUKEN. *Ahnag.* p. 83. *Phytograph.* Tab. 154. fig. 2. varietas est foliis semipinnatis.

Cirsium inerme glabrum, foliis ciliatis dentatis HALL. *Enum. helv.* p. 681. n. 9. in textu, *Cirsium foliis laciniatis molliter spinosis*, scapo longo paucifloro EJUSD. in icone Tab. XVIII. omnino videtur huc referendum esse, licet folia glabra atque inermia dicat, & icon à nostris speciminibus haecenus recedat, quod folia longiora neque ciliata sistat.

Carduo Cirsium dictum montis piniferi repens, foliis imis integris, subtus incanis, superioribus dissectis, capitulis singularibus, geminis tergeminisque HOFMAN. *Fl. Altorf.* . . . VOLKAM. *Fl. Nör.* p. 85. Nomen apprime convenit varietati, quam & nos legimus, foliis radicalibus ovato-lanceolatis, dentatis, caulinis vero inferioribus semipinnatis.

Plura synonyma ex auctoribus vix eruere queo, exercitatori hoc negotium relinquens, quod utique haud superfluum esset.

OBSERVATIO V.

Medio fere itinere inter *Basileam & Montbelgardum* e regione Oppidi *Florimont* ad viam juxta dumeta mense Augusto anni praegressi raram legi *Trifolii* speciem, diuque à me in botanicorum scriptis quaesitam, donec tandem in *VAILLANTII Botanico Parisiensi* iconem repererim plantam nostram optime exprimentem. Loquor de *Meliloto parisiensi, humifuso, foliis serratis glabris* Tab. XXII. In textu, quod doleo, omissa est.

Radice gaudet lignosa repente.

Caules pedales & cubitales, procumbentes, nisi à vicinis dumetis sustineantur, striati, glabri, ramosi sunt. Rami axillares alterni.

Folia inferiora longius, superiora brevius petiolata, ter-
na: foliolis in universum ellipticis, vel ex ovato-decrescentibus, ut in *Vicia sepium*, vel obcordatis, obtusissimis, glabris nervosis, per oram subtiliter ferratis. Auriculae pallidae, viridibus venis percurvae, glabrae, in caudas longas, lanceolatas terminatae, ut in *Trifol. mont. purp.*

Scapi florigeri unciales & biunciales, axillares, nudi, firmi. Flores dense in capitula subrotunda congesti, juniores erecti, reflectuntur, dum ad maturitatem accedunt, ut in *Trifol. rep. alb.*

Calyx exiguus pallide virescens, junior subhirsutus, adultus glaber, persistens, semiquinquefidus, segmentis fere aequalibus, imo tamen, quod in plerisque *Trifolii* speciebus longissimum, hic reliquis plerumque paulo breviori, omnibus angustis, subulatis, minime pilosis.

Corolla tetrapetala, persistens. Vexillum ovale, obtusum, in juniore flore plicatum, in adulto patens vel paulum reflexum; alae breves, ellipticae; carina alis haud longior. Capsula f. silicula brevis, extra calycem tamen eminentis.

Semina plerumque duo, vel unicum, rarissime tria, subrotunda, nigra.

An sequens planta revera a nostra differat, ii dijudicent, quibus ambae stirpes ad manus sunt.

Trifolium capitulis fructiferis reflexis, leguminibus trispermis
LINN. *Spec. plant.* p. 766.

Trifolium montano simile virginianum, floribus amoene purpureis amplioribus & magis patulis, summo caule glomerulis per maturitatem reflexis. PLUKENET. *Mantiss.* p. 185.

Trifolium leguminibus polyspermis, foliis obverse ovatis, denticulatis, floribus tetrapetalis, capitulis fructiferis reflexis GRONOV. *Fl. Virg.* p. 84.

Trifolium supinum caulibus hirsutis non spinosis, floribus rubentibus in capitula rotunda ad caulum cacumen & ex alis foliorum dense congestis, calycibus in quinque acuta segmenta incisus, foliis mollibus albo notatis, leviter serratis, instar Anonidis auritis, capsula parva duo vel tria semina continente CLAYTON ap. GRONOV. l. c.

Licet pleraque in hisce nominibus conveniant, dubius tamen adhuc sum, an ad plantam nostram sint referenda.

Accuratius insequente aestate hanc stirpem examinabo, aliaque vice bono cum Deo perfectiorem ejus descriptionem exhibebo.